



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad  
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo  
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

Cleri disciplina. cap. 32.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10502**

menti suscipiendi gratia, fere suos non dimisit, ne vel ex eo se labore eximeret; vel aliqua consuetate diligentiæ pars in eis approbandis omitteretur.

Cleri disciplina.  
Cap. xxxij.

Adhibita in ijs diligentia, qui clericali se ordini darent, multum valuit ad cleri mores sanctitatis studio conformandos. Sed alia quoque cura, multipliche disciplina Carolus eum in officio continere studuit. omnes aliqui non addictos, ecclesiæ certæ iussit assignari, vbi festis saltem diebus diuinorum officiorū se si præberent adiutores. Quam frequenter peccata confiterentur, & Eucharistiam sanctissimam accipierent, obseruavit: certos ex religioso ribus, sed magno tamen numero, sacre confessionis ministros assignauit: litteras discere, qui per ingenium, & etatem possent, curauit. liberam consuetudinem, vagationemque per praefectos coercuit: ut neque cum laicis, nisi iusta de causa essent, neque in ianuis, vel vicinorum tabernis federent otiosi. vbi, & quibus cum habitarent, singillatim nouit; habitationisque locum inspici iussit interdum; si arma essent; si libri, imagines, aliave ab ecclesiastico decoro aliena. nam armæ in itinere quidem villa concessit. Ex agro Mediolanum venientes in certum diuersorum ad id institutum omnes conuenire iussit; quod laici non recipentur. clerici vero ipsi certis legibus ad ecclesiasticam disciplinam accommodatis haberentur. Discessum ab ecclesijs, itinera, peregrinationes, nisi ex facultate præscripta, non permisit. Statum cuiusvis clerici, conditionemque certo libro distinctam, subtillerque notatam habuit; ordinis gradus, beneficia, studia, cognatos, habitationem, ministerium; & si quid aliud nosse interesset. eam notationem, quoniam mutari aliqua semper necesse erat, certo tempore, vocatis

omnibus singillatim recognouit, & quibus rebus opus esset, renouauit. ex eo libro subito poterat de uno quoque clericio suo plene omnia cognoscere. At alias etiam fuit magis reconditus libellus: in quo de vniuersalibus morib; notatio breuis continebatur: ut cum de aliquo esset statuendum, quid ei committi posset, peruiderer. Fœminas apud se habere vel nullas passus est; vel eas, si necessitas cogeret, quæ senectute, sanguinis coniunctione, moribus, ab omni suspitione essent alienæ. Canonicos, quantum potuit, in eorum ædes, per risque locis coenobij cuiusdam instar apud ecclesiastiam fabricatas, compulit: neque laicorum contubernia, nisi salua disciplina tolerauit. Parochis, & eorum muneri valde fuit: quippe suis in animarum curatione præcipuis adiutoribus quibus etiam proprium tradidit magnæ grauitatis indumentum. eorum Missas, ecclesiæque frequentari, auctoritatem, officiaque conferuari; & ab omnibus aliorum impedimento defendi, studiose curauit. Vestitum clericalem synodibus decretis constituit, pro cuiusque loco, ac dignitate distinctione; id que ad eam ferè rationem, qua clerici veteres vtebantur; Monitaq; una cum socijs S. sepulchri cultoribus sancte retinebat. Cum episcopum ad clericorum collegia visenda Caroli iussu essemus comitati; fassus est postremo, rectores, praefectos, ministros clericos, quos ibi vidisset, ex modesto, religiosoque habitu regulares putasse, donec secus admoneretur. Eundem vidimus admirantem; quod in ecclesijs, aut in via, ne vnum quidem ex infirmis clericis, male, ne dum sordide vestitum vidisset. si publicis in gymnasijs canonicae doctrinae causa clericos morari permetteret; frequens Episcopi, Vicarij, ve virbis illius testimonium requirebat, de vita modello, religioseq; acta.

In

In laicorum familia, quacumque dignitate illi essent, neminem maxime presbyterum, ita esse permisit; quod sepe antea non sine magno sacrificio contemptu fiebat; ut vlo modo in famulatu esse videretur. Hæc attigisse breuiter sufficiat; vt huius generis speciem saltem quandam exhiberemus. Quæ quidem disciplina, litteris adiunctis, alijsque nonnullis tuendæ dignitatis adiumentis, de quibus exponemus; ad existimationem, grauitatemque cleri pene abiectionem erigendā magnopere valuit; qui quidem non exiguis fuit inter alios Caroli laborum fructus; ex quo multa populis salutaria extiterunt, nam, ut in officio clericos cōtinuit; iuste que puniuit delinquentes; ita bonis benignissime fauit; & vniuersi ordinis existimationem studiose defendit. Honoris insignia libenter tribuit cappas, vt dicimus, rubeas canonicorum ecclesiæ maioris confirmari curauit: ceteris canoniciis, quas appellant Almutias, Præpositisque alias cappas tribuit. Prothonotarios, quod non ita passim creandos existimauit, tum ad eandem pertinuit dignitatem; tum etiam ad imane studium honoris in quibusdam compremendum. Facultates etiam, vt ad vitæ clericalis decentiam cuique pro loci conditione essent, attente curauit.

Collegia  
Mediolani  
constituta ·  
Cap xxxij.

Collegia constituit plura, quæ virtutū essent, q[uo]d ecclesiæ; immo & reipublicæ ipsius seminaria: vbi vita more cœnobiorum ageretur, probe namq[ue] nouerat, quid valeret educatio. diximus de collegio nationum finitimarum. de nobilium adolescentium alio tetigimus; quos literis, christianisque moribus, accuratissime instituendos curabat; ut ex ijs probos, litteratosque viros reipublicæ subministraret: quod quidem exteri multi, nobilissimique adolescentes cupide mittebantur. quos, quoniam fidei

suæ Carolus commendatos sciebat; & spectatissimos sacerdotes eorum gubernationi præficiebat; & ciues optimos rerum familiarium curæ. tum ipse sepius inuisens, accurate de rebus omnibus percutetabatur; omnia cognoscebat; Eucharistia, verbis diuinis pascebat. Sed de collegijs dicamus cleri sui. In ecclesiæ seminario proprio appellato, quod iamque ab initio per Ormanetum constituerat; clericos Mediolanenses ad centum quadraginta solebat alere: & ecclesiastica disciplina; tum litteris, & humanioribus, & philosophicis, & diuinis, pro cuiusque captu instituere. ad tantum numerum sustentandum, paulatim idoneas facultates beneficiorum, quæ simplicia dicuntur, prout possessoribus vacarent, ex varijs locis, vbi ex minime essent necessariæ, varijs temporibus attribuit; & alias Apostolica in primis auctoritate comparauit, ad aureorū nummum circiter sex millia annua. facilitioribus litteris domi erudiri; grauiorum vero studiorum caufsa Braudensis collegij magistros adire constituit: quorum scholas, vel ad hanc rem vnam fundauerat. Quæ ad conformandos mores; ad mentem religione, sanctitateque imbuendam; saecorum disciplinam descendam; administrandæ ecclesiæ facultatem comparandam, valebant; ijs exerceri iusfit. clerici nihil facultate non impetrata facere; ne abire quidem e conspectu binos exire domo: ordine, modesteque ire; tum vestitu nulla parte fordido, vel indecoro. probati homines sacri, die nocteque suo quisque muneri, assidere: domo simule exentes comitari: Praefectus litterarum perpetuo doctrinæ studia, progressionesque vrgere; disputationibus, concertationibusque litterarijs occupatos habere: Rector loci, grauius presbyter omnia moderari; sacramentorum usum, frequentiamque cura-

O O 4 re;